



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 125. Synodus Diöcesana Wurmiensis & Grassensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. transiit, utilemque Regi suo & Venetis
 A. C. 1610. composito eorum diffidio operam nava-
 bat, obiit die vigesima septima Fe-
 bruarii.

§. CXXV.

*Synodus Diœcesana Warmiensis
 & Grassensis.*

*Concil.
 Germ. l. c.
 Gallia Chri-
 stia. tom. 3.
 p. 1096.*

Cum Warmiensis Episcopatus intra vi-
 scera Prussiae Ducalis situs diversa-
 rum hæresum morbis ad desperationem
 usque laboraret, Simon Rudnickii il-
 lius Episcopus hoc anno Mense No-
 vembri Synodum habuit, cujus potissi-
 ma decreta ad extirpandam hæresim,
 implantandam fidem Catholicam, &
 restaurandos Cleri populique mores col-
 limant. Porro hujus Synodi acta bien-
 nio post typis edita prodire.

Pariter Grassæ Synodum celebra-
 bat Honoratus de Laurens Arelatenis,
 qui antea uxore ducta, in suprema Aque-
 si Senatu per viginti annos Regium
 caussarum forensium Actorem agebat,
 demum vero militiam Sacram profes-
 sus, ab Henrico IV. ad Ebrodunensem
 Episcopatum nominatus est. Fuit is
 pietate & doctrina celebris, honorum
 contemptor, & Divinæ gloriæ vindex,
 qui spreta lecti molitia super strami-
 neam culcitram decumbens corpus va-
 riis afflictationibus domabat. Diœcesim
 pedes

pedes lustrare solitus, reditus Ecclesiæ, Sæc. XVII. A. C. 1610.
 sibi suisque sat parcus, larga in egenos manu effudit. Synodum Provinciam apud Grassam hoc anno coegit, in qua antiquos Ecclesiæ mores & disciplinam revocare aggressus est: hujus tamen Synodi acta perierunt, ipse vero Episcopus Parisiis die vigesima quarta Januarii anno Christi millesimo sexcentesimo duodecimo animam Deo reddidit, sepultus apud Augustinianos.

§. CXXVI.

Princeps Condæus in Franciam redux.

Interim Condæus Princeps apud Mediolanenses, ubi asylum inveniebat tentata conjugis suæ honestas, adhuc hærebat. Hic fervente indignationis æstu sæpe incautius non modo in Belgio sed & Mediolani declarabat, quod Franciæ sceptrum ad ipsum utpote proximum Regii sanguinis Principem devolutum esset, præcipue cum defuncti Regis connubium cum Maria Medicæa nullum fuisset. Insuper ad exequendum hoc consilium Fontanus Comes jam antea validam Hispanorum opem pollicebatur, cui tamen Princeps officiosè reposuit, se non Franciæ solum, sed Administrato- ris dignitatem sibi debitam efflagitare.

Memoir. secret. part. II. & 12. Merc. Gallobelg. t. 6. pag. 3. Gramont l. I. Hist. Gall.

Hist. Eccles. Tom. LIV. Nn Præ-